



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quòd deum bonorum authorem palam praedicauit, & de legum  
exemplaribus. Cap. XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

los versarentur, se quoque iam in beatorum numero duxerunt, & sunt ingenuè confessi, tantum & tam præclarum imperatorem, tanquam rem quandam nouam & prope inauditam (qualem nulla ætas, quam sol viderit, aliquando cognouit) mortali hominum generi apparuisse. Atque isti hoc animo fuerunt.

*Quòd deum bonorum authorem palam prædicauit,  
& de legum exemplaribus.*

CAP. XXIII.

**P**ostquam autem omnes gentes dei patris virtute imperatori subiectæ fuerunt, bonorum sibi suppeditatorum largitorem omnibus palam prædicauit, eumque victoriarum quas esset consecutus authorem, & non seipsum agnoscere constanter testificatus est: hocque ipsum per edicta quæ literis latinis græcisque mandata erant, & ad omnes gentes missa, manifestò denunciavit.

*Lex Constantini, de pietate erga deum & religione  
Christiana, in qua hæc continentur.*

CAP. XXIII.

**A**tque nostram orationem de hac re institutam veram esse, si in ipsa edicta forte incideris, facile cognoscas licet. Duo quidem erant: alterum ecclesiis dei, & populo Christiano, alterum populis infidelibus singulas ciuitates incolentibus missum. Quod quidem utpote ad præsens argumentum valde commodatum hoc loco citare consentaneum arbitror: ad eum sanè finem, uti eius formula historię monumentis prodita, maneat reserueturque ad posteritatem: quandoquidem & ad veritatis plurimum, & ad nostræ orationis confirmationem non minus adferre videtur adiumentis: Descripta est enim ex primo exemplari ipsius edicti auctoritate imperatoris confirmati, & eius dextera subscripti, eaque tamquam sigillo ad fidem huic nostro sermoni faciendam obsignati, quod quidem exemplar apud nos custoditum est.

*Victor*